

Wg. 40.



SOLEMNIA INAUGVRALIA  
CANDIDATI DIGNISSIMI  
PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMI QVE  
TOBIAE NICOLAI WIBEL,

18

HAMBVRGENSIS,  
CRASTINO DIE  
IN AEDIFICIO ACADEMICO PVBLICO  
PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT

SIMVLQVE

DE DOLO INDIRECTO ΣΙΑΗΡΟΕΤΑΩ

QVAEDAM PRAEFATVR

IO. LVDOV. AB ECKART, D.

SERENISS. DVCI SAX. VINAR. ET ISENAC. A CONSILII AVLAE  
SECRET. SACRI PALATH CAES. COMES, IVR. CAN. P. P. O. FA-  
CVLT. IVRID. ET SCABINOR. COLLEG. ORDINARIVS ETC.

H. T.

EIVSD. FACVLT. DECANVS.

---

IENAE

TYPIS GOEPFERDTII.

## DE DOLO INDIRECTO

### ΣΙΑΗΡΟΞΕΤΛΩ.

#### §. I.

Quam acris controversia super dolo indirecto inter Doctores iuris criminalis orta sit atque adhuc perduret, postquam b. Christiani a) illum pro re contradictoria et cerebrina declaravit, de eo inter omnes constat; quidam enim illum varia ratione defendere tentarunt, quod quam felici successu egerint, paucis nunc pro temporis angustia, qua pressi sumus, videamus.

a) in scripto: *Die Chimäre eines Todschlags aus indirectem Vorsatz*, quod prima vice in *Kieler Magazin für Geschichte, Staatsklugheit und Staatenkunde vom Jahr 1784. I Band. 3 Stück Num. 24. pag. 345.* prodit denuoque dem *Niedersächsischen Archiv für die Jurisprudenz I Band 1 Stück* insertum.

#### §. II.

ACTIO DOLOSA est actio mala libera s. actio, cuius mala confectaria agens et praevidit et voluntarie in actum deduxit aa). Abstrahendo igitur DOLVS nil aliud esse potest, quam ea animi agentis dispositio, qua libere actionem malam admittit s. qua actionis confectaria mala et praevidit, et voluntarie in actum deduxit.

a) Vid. Principia nostra de actionum moralitate ad ius crim. applicata §. 16.

#### §. III.

DIRECTVM est a dirigere, quod sine scopo s. fine, ad quem aliquid dirigitur, cogitari nequit. Hinc actio directa esse nequit sine fine, ad quem dirigitur. Finis actionis cuiusdam sunt eius confectaria ideoque ACTIO DIRECTA est actio, quae confectariorum suorum causa suscipitur, et DOLVS DIRECTVS est ea animi agentis conditio, qua actionem malam malorum, quae secum fert quaeque praevidit, confectariorum causa suscipit,

#### §. IV.



## §. IV.

INDIRECTVM est, quod fini haud respondet s. a scopo est alienum. Itaque ACTIO INDIRECTA est, quae suorum confectariorum causa non suscepta est. sicque DOLVS INDERECTVS est ea animi agentis conditio, qua actionem malam malorum, quae secum fert quaeque praeuidit, confectariorum gratia haud sucepit.

## §. V.

Fieri plane nequit, vt homo sanae mentis confectarium actionis praeuidens hancque suscipiens eius confectarium noluerit, nam perficiendo idem, quod non vult contra scopum ageret, quod stulti est, non hominis sanae mentis. Sine principaliter, sine secundarie s. euentualiter voluerit, perinde est, vtroque enim casu confectaria voluit, alias ab actione, tanquam causa, se cohibuisset.

## §. VI.

Dolus supponit et cognitionem malorum actionis confectariorum, et voluntariam actionis perpetrationem (§. II.). Quicumque igitur dolo agit, velit quoque mala actionis confectaria necesse est (§. V.). At enim vero dolus indirectus supponit, agentem mala actionis confectaria praeuidisse quidem, sed noluisse; quod posterius tamen naturae doli et hominis sanae mentis manifesto repugnat. Ergo dolus indirectus est contradictio in adiecto s. sidiroxylon.

## §. VII.

Primus, ni fallor, LEYSERVS <sup>b)</sup> inconcinnitatem doli indirecti animaduertit ideoque, in locum vocis *doli* verbum *animi* substituendo, malo mēderi voluit, et quia inprimis circa homicidium dolus directus et indirectus versatur, rectius homicidium in animo, *directo* aut *indirecto* admissum, quod diuidi posse putauit, posterius definiens per homicidium, quod animo quidem nocendi, minime animo occidendi perpetratum. Sed animus hoc, quo eo LEYSERVS vititur, sensu denotat intentionem s. finem actionis, siquē haec praua atque agens mala eius confectaria praeuidit, sine dubio animus et dolus inter se non differunt, qui enim animo occidendi alterum occidit, eum quoque dolo occidisse negari nequit. Quid autem de LEYSERIANA homicidii animo occidendi inderecto admissi definitione statuendum, infra explicabimus.

b) in Meditationib. ad Pandect. Spec. DCIII. Med. 1. seqq.

## §. VIII.

Secundus, qui hanc grauissimam iuris criminalis materiam ad saniora principia reducere tentauit, est de iure criminali optime meritus BOERHE-



xvs, quondam Ordinarius Francofurtensis *c)* qui retenta quidem distinctione Leyseriana *animum* tamen *directum* et *indirectum* ita a se inuicem separavit, vt *ille* ad mala actionis malae confectaria praenissa pure et fere vnice, *hic* autem tantum euentualiter fit directus. Qui, si a sidiroxylo animi indirecti sibi cauisset, nil haberemus, quod huic diuisioni in ipsa rei veritate fundata opponeremus.

*c)* in Obseruatt. ad Carpzov. Pract. crim. Qu. I. Obf. 2. et in Meditt. ad C. C. C. Art. CXXXVII. §. 4. seqq.

#### §. IX.

Tertius intricatam hanc materiam clariorem redditurus fuit celeberrimus ante triennium defunctus Ictus Hallensis NETTELEBLATT *d)* omnem scrupulum tolli autumans, si dolus aut animus directus et indirectus in intentionem directam et indirectam commutarentur. Sed ex ipsa eius *e)* intentionis definitione, qua est volitio eius, quod agens agit, satis superque patet, in intentione indirecta eandem latere contradictionem, quam in dolo et animo indirecto reprehendimus, siquidem ipse NETTELEBLATT *intentionem directam et indirectam* ita distinguit, vt *illa* adsit, si id intenditur, quod agens agit, *haec* autem, si agens quidem per se non vult, quod ex eadem sequi potest. Quis enim non videt, intentionem indirectam secundum hanc ipsam definitionem esse volitionem eius, quod quis non vult?

*d)* in Diss. de homicidio ex intentione indirecta commisso. Hal. 1756. in eius Exercitt. acad. Num. XIX.

*e)* Sect. I. §. 9.

#### §. X.

Quartus doli indirecti defensor est de iurisprudencia criminali non modo iamiam egregie meritus, sed in posterum quoque magis magisque meritorius celeberrimus ESCHENBACHIVS, Ordinarius Rostochiensis *f)* Is imprimis contra Christiani scriptum supra laudatum calamum strinxit, hacque occasione aliorum modos, quibus dolum indirectum magis adaequate exprimere annisi sunt, non sine rationibus et sale critico recenset, ipse tamen minus accurate egisse videtur, quod non solum denominationem contradictoriam doli indirecti retineri posse existimauit, sed et notionem eius ita formauit, vt sit delictum grauius, cuius causa fuit delictum dolosum leuius ex indole facti, cuius confectaria ab arbitrio delinquentis haud pendent, *g)* Causas dissensus mei in sequentibus explicabo.

*D* in progr. de dolo indirecto delinquentium imprimis homicidarum. Rostoch. 1787. reculo im Niederächs. Archiv I B. 2 St.

*E)* §. 6.

#### §. XI.



§. XI.

Sunt adhuc alii, qui post laudatos auctores doli indirecti vindices egerunt, ex quibus mihi medianibus nouellis litterariis innotuerunt cel. Car. Wilh. ROBERT, Prof. Marburg. *h)* Augustus de HOFF, Berolinensis, *i)* et D. JAC. Wilh. PERSCH *k)*; sed scripta illorum me hucusque fugerunt ideoque eorum sententias proferre nequeo, multo minus de iis iudicium ferre valeo.

- h)* Abhandl. über die Erklärung einer Absicht und ihre Eintheilungen, zur Erläuterung der Distinction vom dolo directo et indirecto. Marb. 1789.
- i)* Sendschreiben an Herrn Prof. Christiani zu Kiel über Verbrechen aus indirecter Absicht Berl. 1791.
- k)* Diff. de distinctione inter animum occidendi directum et indirectum. Lips. 1793.

§. XII.

Nunc nobis, quaeenam alia aptior denominatio ei agentis conditioni, quam Criminalistae dolum indirectum appellare solent, tribui possit, periculum facturis ante omnia disquirendum, unde originem ducat distinctio doli in directum et indirectum, et qua in re proprie consistat posterior? Distinguit nimirum Nemesis Carolina *l)* inter praemeditatum et ex animi feruore et ira perpetratum homicidium, illud *einen fürseztlichen muthwilligen Mord*, hoc *einen aus Zähheit und Zorn gethanen Todtschlag* nominans inque illud poenam rotac, in hoc vero poenam gladii fanciens. Interpretes ambigentes, quorsum referrent homicidium, quod eius auctor principaliter quidem non intendit, quod tamen tanquam ex laesione alteri illata facillime resultatuum praevindit ideoque, laesionem nihilominus inferens, euentualiter voluit, illud neque ad primam classem, nimir. ad homicidium praemeditatum et quo mors alterius principaliter intenta, neque ad secundam classem, nimir. ad homicidium in affectu et ira commissum, referre poterunt, quam ob rem mediam inter vtramque classem constituerunt eamque homicidiis dolo indirecto perpetratis assignarunt; cui artificiosum autem facile superfedere potuissent, si cum Carolina *Mord a Todtschlag* probe distinxissent sique particulam *oder* in verbis: *der einen Todtschlag oder aus Zähheit und Zorn gethan m)*, haud neglexissent. *Mord* enim nil est aliud, quam antiquum *mortuum*, *mordritus*, *mordvritum*, quod denotat homicidium flagitiosius s. insigni malitia patratum, veluti insidiosum, praedae causa susceptum etc. *n)* *Todtschlag* autem est homicidium absque insigni malitia admissum. Ex particula *oder* vero textum esse mancum fubolere potuissent. deficit nimirum verbum *unfürseztlich*, ex prolecto Carolinae de ao. MDXXIX. supplendum *o)*. Sic enim textu restituto: *und ein anderer, der einen Todtschlag un-*





*fürsetzlich oder aus Jähheit und Zorn gethan*, facile patet, sub homicidio non praemeditato contineri illud, quod Interpretes dolo indirecto admittum nominare solent, nam de culposo hic sermo esse nequit, quia de eo in alio Articulo p) ex instituto agitur.

l) Art. CXXXVII.

m) ita legit editio prima ab ill. Kochio iterum edita Art. cit. nec non secunda de mente Aug. MDXXXIII. quae mihi ad manus est.

n) WACHTER; et HALTAVS. in Glossar. Germ. voc. *Mord*.

o) KRESS. Commentar. ad C. C. C. Art. CXXXVII. p. 447.

p) Art. CXLVI.

### X. III.

Facile inde patet, homicidium dolo indirecto ex mente Interpretum committi ab eo, qui 1) alteri laesionem, non mortem inferre voluit 2) praenidit tamen, ex facto suo aequae mortem, ac nudam laesionem posse resoluere, et 3) mors actu secuta est. Eiusmodi homicidium dolosum ex mente Carolinae poena gladii vindicandum esse nullus dubito, quia homicida mortem alterius, quanquam non primario, secundario tamen et eventualiter voluit (§. VI.), ideoque necesse non est, ut de nomine speciali huius homicidii simus solliciti, comprehensum enim est sub secunda classe homicidii legali, nimirum sub doloso quidem, sed non praemeditato s. *unter dem unfürsetzlichen Todschlag*.

### §. XIV.

Inde vero aberrant, qui ad homicidia dolo indirecto admissa referunt quoque illud, quod perpetratum ab eo, qui 1) alteri laesionem, non mortem inferre voluit, et 2) quanquam istam aequae mortem producere, ac in nuda laesione subsistere posse, facillime praevindere potuisset ac debuisset, 3) hoc tamen non praevindit, et 4) mors secuta est. Quod in ignorantia praevindere potuissent ac debuissent, sique actionis cuiusdam collectaria quidem, minime vero in dolo haeremus. Nego itaque, eiusmodi homicidium esse dolosum, potius culposum annumerandum esse non ambigo. Ast obmoneant quamplurimi, hosque inter LEYSERVS, q) cel. ESCHENBACHIVS r), ill. QVISTORP s) homicidium tamen ex proposito nocendi sique ex facto doloso esse exortum; sed rehero, in hac specie concurrere factum dolosum cum culposo, siue potius ex delicto doloso minori propullulare delictum culposum maius: et quia in concursu delictorum ad maius primario respiciendum, eiusmodi homicidium utique pro culposo haberi debet. Quod si vero huic, quam huc erronee tracta *homicidii dolo indirecto admissi* appellatione, illud potius nominemus *homicidium culposum ex facto doloso ortum*,



- g) loc. supra cit.  
 f) progr. cit. §. 4, 5.  
 d) in den Grundätzen des peinl. Rechts §. 223.

## §. XV.

Restat, vt quid intuitu poenae huiusmodi homicidii statuendum explicemus, sed ne praefatio nostra nimis longa fiat, hanc tractationis partem alii occasione referuare non abs re fore duximus. Properamus potius ad illud ipsum institutum, cuius causa haec scripsimus, nimirum ad indicendam solennem in Doctorem iuris vtriusque promotionem Viri iuuenis praenobilissimi doctissimi que

T O B I A E N I C O L A I W I B E L,

H A M B U R G E N S I S

cuius pro more Academico vitae curriculum, quo ex illo de natalium honestate et vita laudabiliter adhuc acta publice conflet, iisdem, quibus ORDINI ILLUSTRI exhibuit, verbis proferimus:

*E*go, Tobias Nicolaus Wibel, lucem hujus vitae adspexi, Hamburgi die XI Aprilis clo 10 cclxxii. Patrem venenor Joannem Ludovicum, Hamburgensem, mercatorem felicissimum acque ac honoratissimum, matrem Christinam, e gente Lienaviorum, quam ante unum et quod excurrit annum, dura, proh dolor! morte mihi ereptam, patremque meum optimum et carissimum plurimis jam abhinc annis defunctum secutam, lugeo.

Vt erque parens ad decimum sextum vsque aetatis meae annum tam cultus diuini quam aliarum doctrinarum rudimentis animum meum institutionibus praeceptorum priuatim excoli curauit. Inter quos liceat mihi publicas agere grates Dm. FAHRENKRUEGER, qui praecipue et primum, cupiditate ad altiora me adficiendi, omnem operam nauabat. Deinde vero primae classis Joannei Hamburgensis alumnus adscriptus clarissimorum viroꝝ LICHTENSTEIN, rectoris, NOODT correct et NORMANN, subrect. nunc academ. Rostochiens. prof. ill. scut et per quoddam tempus RADSFILLERI subr. instructione gauisus sum. Quibus peractis studiis jam ad altiora prouectus, quum iuris scientia mihi potissimum arderet, hanc vt nauarem, mense Maji clo 10 cclxxxii, Jenam, vniuersitatis, quae ibi floret, celebritate motus, me contuli, ibique ab ill. HEINRICH, illo tempore prorectore meritissimo, ciuium numero adscriptus sum academicorum. Jurisprudentiam vero mihi tradiderunt praeceptores tantis de me meritis conspicui, vt eorum nomina hic adponere summo mihi honori ac gaudio ducam.

Per ill. ab ECKARDT, fautorem maximopere deuenerandum, pandectarum et iuris criminalis doctrinam audiui solidissime explicantem. Per ill. WALCH, patronus, omni, qua decet, pietate colendus, jus cambiale, artem retractoriam et processum communem, ea qua solet, eruditione, me



me docuit, et plurimum ad ingenium meum in arte juridica formandum contulit, eoque magis, quam Ejus exercitationibus disputatoris, quas benigne aperit juris studiosis, summa cum utilitate interfui. Deinde ill. REICHAARDT in institutionibus juris civilis, ill. SCHNAUBERT in jure publico, jure canonico et processu imperii, ill. HUFELAND, qui plurima mihi attulit benevolentiae specimina, et bibliothecae copiosissimae usum benigne mihi concessit, in historia juris, jure naturae, historia imperii germanici, et jure germanico, praeceptorum praelectionibus usus sum tam doctissimorum quam meritissimorum. Consult. VOELKER in collegio examinatorio ad pandectas, et consult. MEREAV in praxi extrajudiciali et arte diplomatica ita me instruxerunt, ut iis plurima me debere, grata confiteri mente fas sit. Ne vero in aliis quoque scientiis, quae summam alicunquae et utilitatem et ornamentum adferunt, plane rudis abirem, aliorum etiam virorum inclutorum et doctissimorum scholas frequentavi. Per ill. GRVNER medicinam forensem, ill. SVCCOW scientias physicas et camerales, ill. SCHVETZE historiam litterariam; ill. HEINRICH historiam vniuersalem et statuum Europae, ill. VOIGT mathefin puram, ill. REINHOLD logicam, philosophiam me benevolentia erat, ut non modo publica institutione, verum etiam in conversatione ingenium ornare, animumque in optimam virtutis viam ducere nisi sint. Quapropter nil magis mihi curae cordique est, quam ut his praeceptoribus atque ac fautoribus, pro ea, qua me amplexi sunt, solertia et benigne, solemnes jam gratias agam easque maximas. Non dubito, quin hi omnes gratissimam mentem meam agnoscant meque sibi habeant commendatissimum.

Sic absolutis studiis Academicis honores Academicos petens nos accessit seque ad examina solita obtulit, cui honestae petitioni lubentes annuimus et postquam in vitroque examine non solum textus ipsi praescriptos folide explicauerat, sed et quaestionibus ipsi propositis dubiisque obmotis per omnia satisfecerat, communi Ordinis suffragio, qui ad ipsum Doctoris gradum admittatur, dignus est iudicatus. Proinde crastina die Dissertationem proprio Marte elaboratam

*De laesione enormi in negotiis mercatoris Hamburgensium ad Stat. Hamburg. Part. II. Tit. VIII. Art. 19.*

absque Praefide e cathedra publice defendet hocque facto Doctor iuris vtriusque solenniter creabitur. Quos acius VI MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, COLLEGAE OMNIUM FACVLTATVM SPECTATISSIMI, VTRIVSQVE REIP. PROCERES, GENEROSISSIMI DENVM AC NOBILISSIMI COMMILITONES omniumque artium studiosi praesentia sua honorifica condecorare haud dedignentur, omni, qua par est, obseruantia maiorem in modum rogo. Dab. Jenae, d. xii. Aug. M DCCXCIV.

(L S.)

Kg 4999. 3<sup>to</sup>

ULB Halle  
004 526 201




3

f

5b

1017





19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

SOLEMNIA INAVGVRALIA  
CANDIDATI DIGNISSIMI  
PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMI QVE  
TOBIAE NICOLAI WIBEL,

HAMBVRGENSIS,

CRASTINO DIE

IN AEDIFICIO ACADEMICO PVBLICO

PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT

SIMVLQVE

DE DOLO INDIRECTO ΣΙΑΗΡΟΕΤΑΩ

QVAEDAM PRAEFATVR

IO. LVDOV. AB ECKART, D.

SERENISS. DVCI SAX. VINAR. ET ISENAC. A CONSILIIIS AVLAE  
SECRET. SACRI PALATHI CAES. COMES, IVR. CAN. P. P. O. FA-  
CVLT. IVRID. ET SCABINOR. COLLEG. ORDINARIVS ETC.

H. T.

EIVSD. FACVLT. DECANVS.

IENAE

TYPIS GOEPPERDII.